

ita ignominiam suam voluit esse maximam, suamque crucifixionem plurimis conspicuam.

X. Quid sibi vult *Hosanna*, ex Hebræo idiomate non translatus? Resp. Primo, indicat vocem hanc gratulatoriam Judæis usitatam et solemnem, adeoque ab omni turba expresse et uno ore acclamatum fuisse: quomodo nos electo regi accinimus: *Vivat rex*, proinde etiam pulchrum esse in Ecclesia, quando omnes uno ore Deum honorificant.

Secundo, ostendit opus non esse, ut in materna et nota lingua Deum semper laudemus: posse etiam in peregrina laudes ei canere, quod faciunt moniales, etc. Etenim pueri quoque Hebræorum vocem *Hosanna* acclamarunt, non tamen intellexerunt; imo nec turbæ, si intelligatur vox de regno Christi æterno et spirituali. Hinc ergo ut uniformior et gravior esset Dei laus, Ecclesia a divino officio exclusit maternam linguam. Possunt autem et idiotæ cum sacerdote latine orante mentem suam conjungere ac petere ut Deus concedat id, quod sacerdos omnium nomine postulat; quia licet ejus orationem non intelligant, habent tamen fructum devotio-

nis erga Deum et reverentiæ erga preces sacras Hinc S. Jordanes rogatus, an placerent Deo monialium preces, quas non intelligunt, respondit: « Sicut gemma in manu rustici, qui non novit pretium ejus, tantum valet quantum in manu aurificis et gemmarii qui pretium novit: sic et preces tantum valent in ore indocti, qui eas non intelligit, quantum in ore docti, qui intelligit; » perinde ac libellus supplex qui a rustico et idiota regi porrigitur, tantumdem a rege impetrat, quantum alius qui a viro docto exhibetur. Idipsum alio simili demonstrat in vitis patrum abbas pastor cum quidam ei conquerendo diceret: « Ecce oro, et non est compunctio in corde meo, quia nescio virtutem (significationem) verbi: » respondit: « Et tu tamen orare perge: quoniam sicut incantator licet virtutem verborum, quæ dicit, nesciat, serpens tamen audit et intelligit ea, iisque subjicitur incantanti, et humiliatur: sic et nos, quamvis ignoremus virtutem eorum quæ loquimur, dæmones tamen audientes ea intelligunt, terrentur, atque discedunt.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUOMODO INTRODUCENDUS IN ANIMAM CHRISTUS.

I. Asina solvenda, anima peccatrix. — II. Adducenda Christo anima in s. communionem. — III. Christus suscipiendus, et modo debito. — IV. Luxus vestium deponendus. — V. Habitus vitiosi exuendi. — VI. Christo gratiæ agendæ.

THEMA.

Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. Matth. XXI.

S. Chrysostomus, hom. XXX. in Genes. ita concionari circa hoc tempus incipit: « Ecce tandem ad finem sanctæ quadragesimæ venimus, et jejunii navigationem perfecimus, appulimusque Dei gratia in portum. Verum non ideo negligentes simus, sed hac de causa iterum majus studium, majorem diligentiam, majoremque vigilantiam exhibeamus. Nam et naucleri cum per multa maria transierunt, et plenius velis ornatisque mercibus in portum ingressuri sunt, tunc maximam curam et sollicitudinem gerunt, ne in

scopulum vel petram quamdam impingant, quæ omnes priores labores simul disperdat. Et cursores quoque ita faciunt: cum enim ad finem stadiorum perveniunt, vehementiorem servant cursum, ut metam attingant et præmium mereantur. Athletæ quoque post plurima certamina et victorias, cum pro corona certandum est, majori nisu omnia faciunt, ut coronati abeant. Itaque quemadmodum naucleri, cursores et athletæ, ubi ad finem veniunt, magis enitentur et vigilant, eodem modo et nos facere oportet. Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime et jejunii cursus intendendus, et magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens et pura peccatorum confessio, et in bonis operibus sedulitas, eleemosyna larga, æquitas, mansuetudo, aliæque virtutes: ut talibus ornati virtutibus, ubi in diem dominicum venerimus, Domini liberalitate fruamur. » Vidimus superioribus dominicis quid per quadragesimam agendum nobis esset; nunc videndum superest, quod per hanc septimanam agendum. Nec occurrit quid accommodatius, quam id, quod discipuli et turbæ præstiterunt Christo in ho-

dierno ingressu; non dubito enim vos omnes et singulos, si huic triumpho Christi interfuissetis, idem omnino facturos fuisse ad obsequium Christi, quod fecerunt discipuli et turbæ. Ego, diceretis, adduxissem illi asinum: ego arbores ascendissem, et ramos præcidissem, et ego vestes exuissem eique substravissem; ego denique acclamassem: *Hosanna, Benedictus, qui venit, etc.* Bene est, faciamus ergo hæc per istam septimanam. Sed qui audiamus.

I. Ad imperium Christi ierunt duo in castellum, quod erat contra eos, et inventam asinam cum pullo solverunt a præsepio. Quid asina, nisi peccatrix anima? Sic enim Ps. XLVIII. dicitur: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* Asini communiter crucem lineis nigris in dorso notatam habent: Christiani cruce insigniti, adeoque servitio Christi deputati sunt; verum abripiuntur per peccatum in castellum, quod est contra eos, h. e. in ergastulum dæmonis, qui diligenter eos custodit, et alligat ad stabulum suum, mundum scilicet sordidis voluptatibus repletum, juxta id Joelis I. *Computruerunt jumenta* (Hebr. *mulæ*) *in stercore suo.* Castellum illud et stabulum contra ipsos est, quia carcer est, servans reos ad interitum eorum. Et tales quidem diu quærere non est opus, statim inveniuntur; quia plerique tales; et unusquisque si vel paululum velit in seipsum inquirere, statim inveniet talem asinam.

Hæc in primis solvenda est a præsepio, cui alligata est, vinculo in nodum contorto. Vinculum quid nisi peccatum? Nodus est ejusdem peccati absconsio seu reticentia. Solvitur hoc vinculum, cum confessario aperitur peccatum. Aperuisti ex integro? Certus esto, solvisti nodum. Expuisti venenum? Salvus et liber eris. Hic multi sese torquent in solvendo nodo, in peccato aperiendo. At nonne stultum est nescire solvere nodum, non velle tam perniciosum? Non velle et Turcæ ergastulo sese liberare, nonne multo adhuc stultius? Sed reclamatur caro: Cur solvis asinam? Cur deseris voluptates tuas? Sic occinebat Augustino conversionem meditati: *Dimittisne nos? Et a momento isto non erimus tecum in æternum? Et a momento isto non licebit tibi hoc et illud in æternum?* l. VII. confess. cap. XI. Obsistet tibi mundus et pravi socii: diabolus absterrebit. Verum dic: Quia Dominus id jussit, et te opus habet; quia clamat I. Isa. LVIII. *Dissolve colligationes impietatis.* Idem per Ecclesiam præcipit. Væ ergo tibi, ni nodum istum solvas, quia confusio æterna te expectat, cum a Deo aliquando solvetur, sicut nodus Gordius in loro Gordii

rustici Phrygis factus nexu insolubili, ab Alexandro M. ense dissectus. Audi Oseam, c. XIII. *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus* (en quid est colligare! Abscondere peccatum.) Quid igitur illi fiet? *Dolores parturientis venient ei.* Sicut enim prægnans puella, quæ ex stupro concepit, sæpe, ut peccatum tegat, uterum ligat et constringit, sed tandem partus dolor simul et ignominia major illam obruit: sic accidet peccatori peccatum abscondenti in die saltem iudicii, si non et in hac vita; quod sæpe tamen fit, et expertus est rex David, qui adulterium suum omnibus modis celare conatus est: sed frustra: quia id revelatum est proph. Nathan, a quo et Davidi exprobratum, et post undique publicatum, adeoque in Scripturas sacras insertum, totique mundo manifestatum, denique multis modis punitum est morte filii, nece Amnon, rebellionem Absalon: proinde quia ipse sponte non aperuit peccatum suum, gladio dissectus est nodus, dicente Nathan: *Quamobrem non recedet gladius in domo tua neque in sempiternum, eo quod desperaveris me,* II. Reg. XII.

II. Adduxerunt jumenta Christo, et imposuerunt vestimenta sua super ea, ut mitius et commodius in eis sederet. Hunc in modum adducenda ad Christum in s. communionem anima, sed cum præparatione debita, adeoque insternenda et ornanda est certis virtutum actibus, qui tantum sessorem deceant, et suaviter, ut sic loquar, in ea sedere faciant. Tales autem sunt in primis munditia corporis et animæ: ut non modo a peccato gravi, sed et a contaminatione carnis, etiam quæ in legitimo thoro fit, libera sit. Scimus corruisse Dagon, (Veneris idolum, secundum Serar. et alios,) quando arca foderis in ejus templum illata fuit ab Azotiis, I. Reg. V. Non timeat pollutus adducere in corpus tuum Filium Dei et Virginis purissimum? Azotii post illud factum fædo morbo puniti sunt, quia scilicet ad fædum idolum induxerunt arcam. Et quid illis expectandum qui impuro ore susceperunt Dei Filium? Quanto sæpe labore mulieres se ornant, ut placeant viris suis, vel etiam alienis aut juvenibus lascivis? Quid ergo non laboris adhibere decet animam, ut placeat sponso suo Christo? Pelagia illa peccatrix Antiochiæ in asello sedens cum incredibili pompa prodibat, compta et ornata undique auro et gemmis, in ipsis adeo sandaliis et pedibus: unguentis et odoribus suis aerem perfundens, stipata puellis et juvenibus. Eam Nonnus episcopus Edessenus ibi tum præsens, aliis episcopis vultum avertentibus, intentis aspicebat oculis, post faciem in sudarium deposita, altis suspiriis tractis, et largo

lacrymarum imbre effuso ait: « Ecce Deus ex hac femina nos iudicaturus est. Quot enim horas ea consumpsit in corpore suo comendo et ornando, quantum et quos sumptus impendit ut placeret juvenibus, cras forsitan morituris: et nos habentes sponsum immortalem, in quem desiderant angeli prospicere, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, amplissima reponentem præmia fidem ipsi servantibus, nihil studemus ornandis miseris animabus nostris, maculisque abstergendis, ut ei placeamus. » Moxque abiit in cubiculum suum manu diaconi sui prehensa, ibique prostratus cum lacrymis oravit: « Ignosce mihi, Christe, socordiam meam. Ecce enim unius diei ornatus in hac femina superat omnem ornatum animæ meæ. Væ mihi misero, qui assisto ad sanctum altare tuum, nec exhibeo tibi pulchram, sicut expetis, animam meam, etc. » ut scribit Jacobus diaconus Heliopoleos in vita S. Pelagiæ 8. oct. Lipel. Cogita hoc et tu accessurus ad mensam Christi.

III. Christum desuper sedere fecerunt. Nos etiam hoc in primis tempore Christum in nos per s. communionem suscipiamus, ita ut desuper nos sedeat velut rex et ductor noster. Nemo nostrum sit, qui Christum non suscipiat, quia venit nobis, non sibi: *Ecce rex tuus venit tibi.* Japones et Indi ea demum de causa susceperunt Sanctum Xaverium ejusque fidem, quia viderunt eum propter se per tot maria ad terrarum immensa spatia venisse in terram suam. Christus tibi de cælo venit in s. communionem, et non admittes eum? Non impones animæ tuæ? Verum ita imponendus est, ut non infra, sed desuper sedeat, velut rex et Dominus noster, ut nos illi totos committamus gubernandos, sicut civitas se tradit adventanti suo principi. Non ergo amplius eas quo tu vis, sed quo te ducet Christus verbo suo. Ad hæc portemus etiam hac septimana Christum, delibando ejus passionem, et cum ipso aliquid patiendi, sicut monet S. Paulus ad Hebr. XIII. *Excemus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantem.*

IV. Cædebant ramos ex arboribus, et sternebant in via, qua iturus erat Dominus. Quinam isti rami? *Palmarum*, ait S. Joannes. Palma speciosa valde arbor est his terris incognita, quæ uno stipite præalto, recto, et quasi squamato constat, superne prælonga sua dilatata folia seu ramos, gladii formam referentes, veluti comas. Et quid designat nisi vestitum luxuriantem, et ornatum corporis insolentem, qui etsi in toto anno, hoc tamen præsertim tempore, quo Christus venit humilis, sedens in asina, præcidendus ac deponendus est? Ita enim Sanctus Bern.

serm. IV. hebdom. pœnosæ: « Universi Christiani hac septimana humilitatem sectantur præ solito ac præter solitum. Quis tam insolens, ut (hoc tempore) non humilietur? » Hinc pontifex et episcopi, reges multi ac principes hac hebdomade gloriam suam abjiciunt ad pedes pauperum. S. Elisabetha per hos dies nullum sibi a gynæceo et ancillis honorem impertiri voluit, ut in ejus vita. Sed difficile est, dicent aliqui, palmam ascendere ad cædendos ejus ramos, quia truncus ejus columnæ instar rectus, internodiis caret: difficile et nobilibus pompam vestium abjicere. Agnosco hoc et agnovit etiam Aaron, quando instantia impatientis populi jussus conflare vitulum, petit ad conflandum omnium inaures; existimans id populum minime facturum, uti asserit S. August. q. CLXI. in Exod. Et tamen amor ficti et bruti dei, capitis inquam vitulini, pervicit adolescentem etiam ac mulieres, ut in ejus figmentum inaures sibi detraherent. Igitur amore veri Dei non velint Christiani deponere ornatum suum hoc sacro tempore? Judæi ramos una cum vestibus suis substraverunt Christi pedibus. Pedes hi sunt pauperes, in luto et squalore degentes, teste August. in Ps. LI. in hos nunc impende, quod aliquin insumeres in ornatum superfluum et vanum.

V. Exuebant vestimenta sua, et sternebant in via, ut super illis incederet Dominus. Vestimenta significant habitus vitiosos, ob eorum quotidianum usum et firmam adhæSIONem; unde etiam vestitus dicitur *habitus*. Docet autem, ut cum Christo resurgente novi homines, novo vestiti modo vivendi resurgamus. Unde et antiquitus catechumeni tempore paschali habitum mutabant, et album induiebant usque ad dominicam in albis, uti iterum deponabant. Tunc enim Christus Dominus velut sponsus processit de thalamo sepulcri sui, adferens secum sponsam, patres e limbo ereptos, novo habitu, gloria et honore circumdatus, et gloriosi corporis dotibus ornatus; decet igitur, ut amici sponsi, et qui ad nuptias invitati sunt, cum vestibus itidem novis et nuptialibus prodeant, ne cum homine illo non vestito nuptialiter ejiciantur in tenebras. Igitur deponenda odia inveterata et inimicitiae, restituenda bona aliena, abjiciendæ pellices et libri prohibiti, vitanda ebrietas et iracundia, uti monet S. Paulus ad Coloss. III. qui cum dixisset: *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*, subdit: *Nunc autem deponite vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.* Omnia ergo hæc in lutum abjicienda et conculcanda sunt, ita ut non resumantur amplius, juxta id Sponsæ, Cant. V.

THEMA.

Turbæ autem, quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna Filio David. Matth. XXI.

Instituatur hodierna die processio in ecclesiam cum palmarum ramis ad imitationem illius, qua deductus fuit Christus Dominus hoc die a turba, et discipulis in civitatem Jerusalem. Jerosolyma nostra cælum est, eo nos peregrinamur, et quidem Christo ductore. Cum illo, et per illum ingredi debemus in *visionem pacis*, quam significat Jerusalem. Huic processioni qui non vult interesse, cælum ingredi non vult. Sed neque otiosi et spectatores tantum ad eam admittuntur. Omnes, quotquot adfuerunt illi processioni institutæ in Jerusalem, aliquid agebant. Alii solverunt et adduxerunt asinos: alii instraverunt vestibus: alii Salvatorem in eos sustulerunt: alii viam publicam vestibus straverunt: alii de arboribus ramos absciderunt, alii cantarunt, alii denique et ipsi suum munus executi sunt, gestando creatorem suum. Pari modo et nos præstare aliqua obsequia Christo oportet, ut gloriæ ipsius participes fiamus. Ea vero gravia non sunt, uti nunc videbimus.

I. Solverunt quidam asinos; discipuli duo scilicet, a Christo ad hoc missi. Faciant hoc magnates et domini. Habent illi primo plerumque debitores sibi obæratos, subditos ex censu annuo sibi obligatos qui non sunt solvendo. Quid hi nisi aselli miseri, funibus alligati? Solvant igitur eos, et a debitis absolvant, bona saltem ex parte si gratum Christo obsequium præstare, et cum eo gloriose ingredi in celestem Jerosolymam volunt. Quod si me audire nolunt, audiant Isaiam, cap. LVIII. *Ecce, inquit, in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis.* Et mox: *Nonne hoc est majus jejunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, hoc est, syngrapha et chirographa obligationum, violentas cautiones de solvendis debitis, usuris, censibus, etc.* Neque hoc grave illis videatur, quoniam et ipsi volunt sibi a Deo remitti sua debita, longe graviora. Unde S. Greg. hom. XVI. in evang. ait: « Dignum est, ut quisquis se penitentia maceret, etiam hoc, quod sibi juste competit, interdicit. Sic nobis afflictis et penitentibus a Deo dimittitur, quod injuste egimus, si pro amore illius et hoc quod nobis juste competit, relaxemus. » Ita fecit Mitzlaus princeps in Pomerania, Wolgasti a S. Othone episcopo Bamberg conversus et baptizatus, qui ut remitterentur ipsi peccata sua a Deo, dimisit omnes vinctos et debitores suos, li-

Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Sic enim et Christus resurgens non resumpsit vestes suas, quas prius habuit; nec linteamina, quibus sepultus fuit, sed in sepulcro ea reliquit. Et quis quæso, sine horrore et suo et aliorum reinduere posset vestem, dudum a se in sterquilinum abjectam? Quis non aversatur Judæos qui resumptis, ut videtur, vestibus suis, quem hodie ut regem exceperunt et honorarunt, post quinque vero dies ut hostem et malefactorem ejecerunt ac crucifixerunt?

VI. Clamarunt dicentes: *Hosanna Filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in altissimis.* Hunc in modum Christo in eucharistia suscepto laudes canendæ et gratiæ agendæ, cumque eo aliquamdiu commemorandum in pia meditatione suæ passionis, gratiæ alicujus petitione, sui ipsius oblatione, subsequente honesta et gravi conversatione; ita ut commoveatur totus homo, quemadmodum hodie ingrediente Jerosolymam Christo commota est *universa civitas, dicens: Quis est hic?* Sic enim Hebræi delapso ad se manna dicebant: *Manhu! Quid est hoc?* Hoc etiam prophetico spiritu prævidit et requirit psalmista, Ps. XXI. illis verbis: *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi.* Sed hoc non faciunt pauperes et famelici, qui requirunt Dominum: cæteri mox ad ollas carniæ Egyptianorum revertuntur: nec majori fructu communicant, quam Judas, qui accepta buccella continuo exivit, ut ait Joannes, c. XIII. utique ad proditorem faciendam. Aliter sane Christus nos instituit, Joannis VI. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Prius tu cum Christo mane in sancta conversatione, et tum ille apud te quoque manebit.

CONCIO II.

PROCESSIO FIDELIUM CONDUCENS CHRISTUM IN COELES-TEM JEROSOLYMAN.

I. Magnates solvant asinos, id est, debitores, etc. — II. Docti et illuminati rudes instruendo, asinos Christo adducant. — III. Divites suis vestibus asinos insternant, pauperes elemosynis. — IV. Sacerdotes imponant Christum asino, fideles in Dei gratiam. — V. Pii ac perfecti suas virtutes Christi pedibus substernant. — VI. Peccatores cædant ramos vitiorum suorum, et sternant in vias ac lutum. — VII. Felices secundum præsens sæculum cantent laudes Deo. — VIII. Subditi et afflictii portent onus suum sibi impositum

et maximos in vinculis detentos, ut habetur in vita S. Othonis, 2. Julii.

Secundo, habent sæpe captivos, ob non magna scelera constrictos in carceribus, vel si tales non habent, habebunt forsitan inimicos, quibus necdum reconciliati sunt, aut injurias condonarunt. Solvant eos hoc tempore; siquidem et ipsi condonari sibi nunc a Christo injurias desiderant. Norunt Hebræorum consuetudinem, qua tempore paschali vinetum unum dimittebant, in memoria liberationis suæ, qua e servitute Ægyptiaca olim eodem tempore dimissi sunt; faciant hoc Christiani quoque modo christiano. Fecit certe nobilis quidam Carinthus, Glancker nomine, Volkenmarki residens, qui cum foris obequitans hasta retro a quodam suo perfide transfixus fuisset, moriens noluit indicare eum, nec eum ut inquireretur permittit: *Deus avertat*, inquit, *ut mei causa quis patiat, quin potius ignosco ei libens, ut jam morituro Deus quoque ignoscat peccata mea*, Gerard de Roo, l. II. hist. Austriacæ. Audiant S. Clementem, l. II. apost. constit. cap. LIII. Si Christianus esse vis, *sequere legem Domini, dissolve omne vinculum iniquitatis: in te enim posuit Dominus potestatem remittendi peccata in te commissa*. Sic ille.

Tertio, habent denique famulos et ancillas servitiis suis obligatos; solvant et dimittant eos hoc tempore a laboribus consuetis, ut et ipsi conscientiæ suæ prospicere et saluti queant consulere. Dimittant ad rem divinam, participanda sacramenta, non sint instar Pharaonis, qui nec iter trium dierum concedere Hebræis voluit, ut liberi a laboribus immolare Deo possent, Exod. III. et V.

II. Discipuli iidem adduxerunt Christo asinos. Faciant hoc docti et illuminati: adducant ad Christum rudes, a fide et via virtutis aberrantes, verbo et exemplo. Hoc idem insinuavit Dominus, quando Lucæ XVIII. jussit cæcum adduci ad se. Non misit ad hoc cæcos, sed videntes, voluit ergo a doctis et prudentibus adduci ad cæcutientes et rudes. Neque dicat aliquis: Quid ad me illi? Ad quid enim Dominus ait: *Nemo accendit lucernam et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant*, Lucæ XI. Et cur hanc eandem sententiam toties, tribus scilicet diversis in concionibus, repetiit: nimirum in sermone habito in monte, Matth. V. rursum in serm. de parabola seminis, Luc. VIII. denique in serm. post ejectionem dæmonis muti habito, Luc. XI. nisi quia hoc præceptum illuminandi rudes serie commendare voluit iis, quibus lumen scientiæ et sapientiæ a Deo collatum est? Et nonne hoc natura docet? Oculus

enim non sibi tantum, sed omnibus commembris adeoque etiam pedibus videt, eorumque ductor est. Sumus autem et nos membra unius corporis. Quare sicut Joseph noluit impertiri fratribus suis frumentum et gratiam suam, nisi adducerent secum fratrem suum minimum, Gen. XLVIII. dicens: *Non videbitis faciem meam, nisi adduxeritis fratrem vestrum minimum*, ita nisi quis eruditus conetur saltem seu verbo seu exemplo, cum ad hoc vires habet et occasionem, adducere ad Deum etiam minimum fratrem suum, non videbit gloriam Dei.

III. Alii vestimenta sua imposuerunt super asinos, cum ad ornatum et pompam, tum ut in iis Christus commodius sederet. Obsequium hoc Christo divites exhibeant, si cum eo ingredi in civitatem sanctam volunt. Certe S. Laurentii Justiniani patriarchæ gravis sententia est: *Divites, nisi eleemosynis dandis, salvari non posse* (ut habetur in ejus vita, c. IX. apud Sur. VIII. jan.); ad hoc enim illis datae sunt divitiæ. Eo etiam remittit divites Isaias supra, c. LVIII. *Frange*, inquit, *esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despereris*. Qua sententia, ut S. Augustinus, ser. LXII. de tempore advertit, urget ad eleemosynam non solum divites, sed etiam pauperes. *Non dixit*, inquit, *ut integrum daret, cum forte pauper ille alium non haberet, sed frange*, inquit, *hoc est dicere: Etiam si tanta paupertas tibi est, ut non habeas, nisi unum panem, ex ipso tamen frange, et pauperi tribue*. Qualis certe fuit liberalitas Macedonum in summa eorum paupertate, seu altissima, ut appellat eam et prædicat apost. II. Cor. VIII. erga pauperes neophytos. Certe nec discipuli Christi superflua habuere vestimenta; attamen aliquid sibi detraxerunt vestium, quo nudum vestirent asinum ad honorem Domini sui. Urget deinde alterum eleemosynæ opus: *Egenos vagosque induc in domum tuam*, quasi dicat: (ut observat ibid. August.) *Si aliquis ita pauper est, ut non habeat unde tribuat pauperi cibum; vel in uno angulo domus suæ peregrino præparet lectulum*. Urget etiam tertium: *Si videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despereris*: q. d. sicut carnem tuam non despicias, sed cooperis contra frigus, ac foves bonis vestibus, ita fac et operire eum veste tua non potes, operi eum sua, operi eum stramine.

IV. Alii Christum in jumentum sustulerunt, et desuper sedere fecerunt. Munus hoc sacerdotum est, qui in sacramento penitentiæ et eucharistiæ potissimum Christum, ejusque gratiam imponunt fidelibus, ut in eis suaviter equitet, eosque regat

ac gubernet. Qui cum suum officium procul dubio faciant, non est quod eis dicam. Adhortor solum laicos fideles, ut in hac sacerdotum functione se illis obsequentes præbeant, Christumque sibi imponi sinant, non refugiant, nec recalcitent, sed veluti mansueti aselli suave onus non recusent. Magnum præstitisset beneficium languido illi, ad piscinam per tot annos jacenti, si quis eum ad motum aquæ intulisset in piscinam. At hoc beneficium, imo longe majus sacerdotes exhibent penitentibus, cum absolvunt eos, et corpore Domini cibant.

V. *Plurima turba straverunt vestimenta sua in via*. Piorum ac perfectorum, qui in sancta conversatione et honorum operum studio assiduo se exercent, officium istud est. Hi vestiti et ornati sunt virtutibus et meritis, sed ne per vanam gloriam spolientur hoc ornatu, substernant eum pedibus Christi, eique acceptum ferant, ac ne pedibus quidem ejus satis dignum existiment. Docent hoc viginti quatuor seniores, qui in cælo a Joanne (Apocal. IV.) visi sunt procidere ante sedentem in throno Deum, et mittere coronas suas ante thronum dicentes: *Dignus est Dominus Deus noster accipere gloriam et honorem, et virtutem, etc.* Idem docent primi Christiani, qui venditarum possessionum suarum pretia afferebant et ponebant ad pedes apostolorum, Act. IV. ne ex eo tam strenuo licet opere si quidquam arrogarent, sed ut totum Deo adscriberent, uti et possessiones suas earumque pretia, non a se sed a Deo se accepisse, eique accepta ferre testarentur, ut ibi observat Sanctus Chrysostomus. Hoc denique docuit Magdalena, quæ postquam a septem dæmonibus per Christum liberata fuit, postea semper ad ejus pedes se abiecit, ibique consedit, ut totam se, quanta erat, adeoque suam conversionem, liberationem, gratiam et salutem ad ipsum referret, ejusque pedibus substerneret.

VI. *Alii cædebant ramos de arboribus, et sternerant in via*. Peccatorum, sed penitentium hoc obsequium esse debet, si cum Christo ingredi Jerosolymam seu visionem pacis volunt. Quid sunt rami arborum, non sursum erecti, sed in latera diffusi, nisi pravæ cupiditates et terrena desideria, deviantia a Deo, et declinantia ad creaturas? Quomodo talis arbor onusta talibus ramis per angustam cæli ingredietur januam? Dicam: Si homo constanter laboret, ut securi penitentiæ eos resecat, et velut res abominabiles in vias et tutum abjiciat. Quid agunt hortulani, ut a zizaniis areolos, et pravis germinibus expurgent arbores suas? Assidue cum pala et falce circum-eunt hortum suum, quibus herbas inutiles et vitulamina exterminant; atque ita fructum ex

hortis suis colligunt. Idem faciant illi, qui sæpius labuntur: fodiant crebro conscientiam suam examine, et per frequentem confessionem ac propositum emendationis excendant noxia germina, et abjiciant in lutum, quasi rem detestabilem et fœdam, non resumendam in æternum. Quid egit Abraham, quando ad ejus sacrificium advolabant aves? Genesis XV. Continuo abigebat eos. Quod si iterum advolarent, iterum abigebat. Quid egit Isaac, quando pastores Geraræ obstruxerunt puteos, quos ipse sibi foderat? Abiit in alium locum, et effodit sibi novos. At vero pro istis etiam rixari cœperunt; quid faceret ergo Isaac? Abiit ab eis et fodit sibi alios: sic tandem ipse evicit, effectitque ut postremum rixæ cessarent, Gen. XXVI. Fac tr hoc, Christiane, dæmon te infestat? Accipe flagellum penitentiæ et fuga eum. Obstruit tibi puteos, quos fodisti tibi, bonorum propositorum? Abi et aperi tibi novos.

VII. *Alii cantabant et clamabant dicentes: Hosanna Filio David*. Hoc faciant illi, qui sani et secundum præsens sæculum felices sunt, qui nulla fere tempestate adversitatis pulsantur, sed tranquillo mari navigant. Periculosa quidem est longa malitia, et tam tranquilla in divitiis vita. Verum ipsi quoque ingredi in beatam civitatem poterunt, si bona, quibus fruuntur, Deo accepta referant, et pro iis sedulo gratias agant, prout monet apost. ad Ephes. V. *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri*. Sic enim angelis sanctis non obfuit felicitas status, in qua creati sunt; quia nimirum simul ac creati sunt, ceperunt Deo laudes canere et gratias agere pro accepto beneficio, uti testatur Deus, Job. c. XXXVIII. *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* Propter hanc namque laudem confirmati sunt in gratia et felicitate sua, gloriamque acceperunt. Eandem ob causam ss. patriarchæ, cum omnibus abundarent, a salute tamen non excederunt, quia omnem suam fortunam, prosperitatem et rerum abundantiam Deo acceptam ferebant, quotiescumque ea commemorabant. Ita Noë, qui salvatus a diluvio, *ædificavit altare Domino*, Gen. VIII. Abraham accepta promissione terræ sanctæ, *ædificavit altare Domino*, Gen. XV. Idem fecit Isaac, accepta promissione seminis, Gen. XXVI. Similiter et Jacob liberatus a metu fratris Esau, Genes. XXXIII. Idem cum commemorarent bona sua, appellabant ea dona Dei, uti Jacob filios suos, Gen. XXXIII. necnon pecora sua, ibid. Sic et Joseph filios suos, Gen. LXXXVIII. Hos si imitari velint, qui prospero hic vento navigant, si Deo laudes ca-